



los vestros, & edūcam vos de sepūlchris vestris, pópulus meus: & indūcam vos in terram Israēl. Et sciētis quia ego Dóminus, cum aperúero sepūlchra vestra, & edúxero vos de túmulis vestris, pópule meus: & dédero spíritum meum in vobis, & vixeritis, & requiescere vos faciā super humum vestram: dicit Dóminus omnipotens.

Ad Missam. Epistola.
Lectio Actuum Apostolorum.

IN diēbus illis: Factum est cum Apóllo esset Corínthi, vt Paulus peragrātis superiōribus pártibus venīret Ephesum, & inuenīret quosdam discipulos: dīxitque ad eos: Si Spíritum sanctum accepístis credētes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque

si Spíritus sanctus est, audiuimus. Ille verò ait: In quo ergo baptizāti estis? Qui dixerunt: In Ioánnis baptísmate. Dixit autem Paulus: Ioánnes baptizáuit baptísmate poenitētiæ pópulum, dicens: In eum, qui ventūrus esset post ipsum, vt créderent, hoc est, in Iesum. His auditis, baptizāti sunt in nómine Dómini Iesu. Et cū imposuisset illis manus Paulus, venit Spíritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetábant. Erant autem omnes viri ferè duódecim. Introgrēssus autem synagógam, cum fidúcia loquebātur per tres menses, disputans & suádens de regno Dei.